





Erz. num. 37.

90  
m

1774.30.

DISSERTATIO  
DE  
SPONSALIBVS  
INTRA TEMPVS LVCTVS  
INITIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO  
PÜTTMANNŌ

L. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR.  
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORĒ

A. D. III. OCTOBRIS MDCCLXXIV.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A


LVDOVICO HENRICO GVTBIR  
PORTA-THRINGO

388/

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



PRESENTATIO

DE

2 P O N S A I B V S

INTRA TEMPS IVCTVS

IN L I S

IOSEPH IVDOVICO ERNSTO

BYTANNICO

AVDITORE P R O F E S S O R I


IN ACADEMIA P R O F E S S O R I

IN ACADEMIA P R O F E S S O R I

AD DISCEPTATIONEM PROFERENDAM

IOSEPH IVDOVICO ERNSTO

BYTANNICO



LIBRARIUS

EX OFFICINA LANGENSIS



*A Monsieur*

*Monsieur Charles Geoffroy  
Schubardt*

*Seigneur de Pauschwitz, Conseiller des  
Commissions de la Chambre des Finances, Secrétaire  
privé des Archives privées de S. A. Elect.  
de Saxe etc.*

A. M. 1789

Magister Charles Geoffroy  
Scholar

Signeur de Puychaux, Conseiller de  
Commission de la Cour de la Province de  
Paris des Sciences, Arts et Belles Lettres  
de Paris etc.



MONSIEUR,

**E**n prenant la liberté de VOUS offrir cet ouvrage, que je m'en vais défendre publiquement, je m'acquiesce en quelque façon d'un devoir indispensable. J'en fais ce que je VOUS dois, c'est à dire, que je dois à la bienveillance, & à cette faveur, dont VOUS m'avez honoré jusqu'à présent. Voilà donc quelques marques du respect & de la vénération, que je VOUS porte & que je VOUS offre d'un coeur plein de reconnoissance. Qu'il VOUS plaise, MONSIEUR, d-

acce-

accepter cet hommage public en ma faveur  
car je ne voudrois rien plus que d'être en état  
de VOUS y faire voir le fond de mon coeur. Je  
connois trop, MONSIEUR, VOS sentimens  
et la grandeur de VO T R E ame, pour dou-  
ter en moi-même, que VO US ne m'accordiés  
pas le bonheur d'être persuadé, que je serai  
toute ma vie avec le plus profond respect et le  
plus grand attachement

MONSIEUR

à Leipfic  
le 30 me Sept.  
1774.

Votre très humble et tres-obéissant  
serviteur,  
Louis Henri Gutbir.





DISSERTATIO  
DE  
SPONSALIBVS  
INTRA TEMPVS LVCTVS  
INITIS.



unt quidam homines adeo rebus vene-  
reis dediti, vt inter ipsum defunctae  
coniugis rogam de nouis nuptiis co-  
gitent, perque pigrum, vt ipsis vide-  
tur, tempus luctus quotidie orent:

*Hymen ó Hymenaeae, Hymen ades ó Hymenaeae!*

A 2

Nihil

Nihil illos prioris mouent matrimonii molestiae,  
nihil iurgia et rixae, nihil *dos* mouet *uxoria, litis*. Fru  
stra cum HORATIO illis occlames:

*O nauis, referent in mare te noui  
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa  
Portum.* — — —

Vicissim etiam paucissimae cum DIDONE dicunt  
viduae:

*Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores  
Abstulit, ille habeat solus, seruetque sepulcro,*

sed immemores potius cari quondam dulcisque mariti  
quantocyus liberis vitricum dare festinant. Exemplum  
viri, qui XX. uxores, mulierisque, quae XXII. maritos  
sepelierat, ex HIERONYMO iam produxit s. c. GEN  
TILIS de *secundis nuptiis* Cap. III. et cui ignotum illud  
MARTIALIS IX. 80.

*Funera post septem nupsit tibi Galla virorum  
Picentine: sequi vult puto Galla viros?*

Sapienter igitur iam antiquitus legislatores luctum  
viduabus indicendo, ne, quod LIVIA quondam, AVGV  
STI filia, dicere solebat, nauis plena vectorem tollant,  
prohibuere. NYMA quidem non modo, ne vidua in  
tra X. menses<sup>a)</sup> luctus nuberet, vetuit, sed illas etiam,  
quae

a) Decem autem mensium loco postea annum integrum  
viduarum luctui praefinuit non IVSTINIANVS, ve  
male opinatur SP. GENTILIS l. c. Cap. 18. sed THEO  
DOSIVS M. vid. l. 2. C. de sec. nupt. et conf. IAC. RAE  
VARDVM *Varior. Lib. 1. Cap. 20.*

quae contra facerent, teste PLUTARCHO vaccam praegnantem immolare iussit, fortasse vt hoc ipso sacrificio monerentur, quam turpiter intra tempus, luctui peragendo lege praefinitum, praegnantem factae essent. Quae poena cum postea, praecipue a diuitibus, vaccae iacturam flocci pendentibus, contemneretur, non modo, quae sui iuris esset, mulier, intra annum luctus ad nouas nuptias transiens, sed etiam ii, qui eam, quae in potestate eorum esset, genero mortuo, cum illum mortuum esse scirent, intra id tempus, quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocauerint, infamia notati sunt. *l. 1. D. de his, qui not. inf.* cuius legis receptam interpunctionem frustra, ni fallor, sollicitauit IO. CONR. RÜCKER *Obs. Cap. I.* Duplicem autem luctus viduabus indisti causam fuisse, partus scilicet metum incerti, honoremque mariti, cui vxor hanc debet reuerentiam, vt per id saltem tempus memoriam eius colat, iam alibi a nobis ostensum est. Neque displicuit hoc praetoris edictum, nisi eis, quae pudorem plane possuissent atque abiecissent omnem. Paucae tantum aspernabantur illa, vt VIRGILIUS *Aen. XI. 62.* ait, *solatia luctus exigua ingentis*, pleraeque contra ita inducebant animum, vt LUCANO *VIII. 82.* subscriberent, dicenti:

— — — *ultima debet*  
*Esse fides, lugere virum.* —

Aliter tamen visum esse inuenio M. ANTONINO PHILOSOPHO, qui teste CAPITOLINO in *vit. Marc. cap. 20.* ad bellum germanicum proficiscens filiam suam

LVCILLAM, VERI viduam, nondum decurso luctus tempore, grandaeuo equitis Romani filio, CLAVDIO POMPEIANO, in matrimonium dedit, quod quidem factum optime conuenit cum iis, quae ipse scribit τὸν εἰς ἐαυτὸν Lib. VIII. §. 37. Numquid etiamnum Veri tumulo adsidet Panthea, aut Pergamus, numquid Hadriani Chabrias, aut Diotimus? ridiculum foret. verum, si adsiderent, numquid ipsi hoc sentirent? aut si sentirent, numquid illos iuuaret? aut si eos iuuaret, numquid hi immortales futuri essent? annon et istis destinatum est, vt primo senescant, tum moriantur? ecquid ergo facerent illi, mortuis istis? quibusque similia iam ante eum dixerat PETRONIVS cap. 72. in celebratissima illa matronae Ephesiacaefabula militem ita mulierculam adloquentem sistens: Quid proderit hoc tibi, si soluta inedia fueris? Si te viuam sepelieris? Si, antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? id cinerem aut manes credis curare sepultos? Vis tu reuiuiscere reluctantibus fati extinctum, vis discusso muliebri errore, quamdiu licuerit, lucis commodis frui? Sed quod Principi licebat, utpote legibus soluto, tantum abest, vt impune idem etiam fuerit aliis, vt potius clarissime Imppp. GRATIANVS, VALENTINIANVS et THEODOSIVS AAA. in l. I. C. de sec. nupt. rescribant EVTROPIO: Si qua mulier nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum festinatione praestiterit, ex iure quidem notissimo fit infamis. Aliter autem res se habebat, quod ad viros atinet: hi enim teste PAVLO in l. 9. D. de his, qui not. inf. vxores lugere haud compellebantur, idque restatur etiam SENECA Ep. 63. Annum feminis ad lugendum constituere maiores, non vt tam diu lugerent, sed ne diutius:

*tius: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Neque profecto hoc mirum; propterea quod in viris utraque cessat ratio, quae, ut supra diximus, luctum viduarum exigere videbatur.

Sed, ut iam ad ipsam, in qua disceptanda versari in praesenti constituimus, causam perueniamus, cum saepius, tum nuper admodum quaesitum memini, an, quemadmodum vidui (nam hi quoque apud nos lugere uxores iubentur,) atque viduae intra tempus luctus nuptiis interdicuntur, sic sponsalia etiam adhuc lugentes inire prohibeantur? Et fuerunt sane non modo olim, quibus adeo displicerent eiusmodi sponsalia, ut ea plane nulla declararent atque irrita, uti videre est ex Diss. BEYERI *de concubitu intra tempus luctus*, (Lips. 1700.) sed sunt etiam hodie, qui eidem subscribant sententiae, illosque, qui, antequam lugubria ponerent, fidem alicui de matrimonio dederunt, soluere promissis haud dubitent. Quin aliquoties ex actis, quae vocant, iudicialibus perspexi, esse adeo iudices, qui sponsalia intra tempus luctus inita delictum, publica animaduersione atque coercitione dignum esse censeant. Qua in re cum saepius non modo crumena, sed fama etiam hominum periclitetur, operae pretium me facturum esse existimaui, si, quid de hac quaestione statuendum sit, non excussis tantum interpretum oculis, sed consultis etiam ipsis legum fontibus, curatius explicarem.

Et quod quidem ad ius Romanum attinet, clarissima sane sunt verba PAULI in l. 20. §. 1. D. de his, qui  
not.

not. inf. Quae virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse, non nocet, quocum etiam conuenit *SYNOPSIS Βασιλικῶν Lib. XXI. Tit. II. cap. 5. ἡ πενθέσσα, καλῶς μνησέεται.* quae virum eluget, recte despondetur. Causam si quaeris, hanc accipe: quia scilicet sponsalia, etsi intra tempus luctus inita, neque metum incerti partus excitant, neque honorem reuerentiamue defuncti coniugis minuunt. Nonne enim, quando vidua aut propter intemperantiam, aut propter solitudinis impatientiam, aut propter alias denique causas, nescio quas, sine viro esse haud possit, nonne, inquam, melius facit, si mature de nouis nuptiis cogitat, quam si imitatur eas, quas graphice depingit *CHRYSOSTOMVS* homil. 13. in Ep. I. ad Timoth. Plurimae, inquam, idcirco viduitatem eligunt, non ut laxioris vitae occasiones amputent, sed ut eas magis incendant, ut maiori cum licentia omnia gerant, liberiusque se voluptatibus tradant.

Quodsi iam ad ius canonicum pontificiumque transeamus, notissimum est, adeo illud fauere mulierculis, ut infamiae poenam iure Romano in nuptias festinatas sancitam prorsus sustulerit, mulieribusque intra ipsum annum luctus ad secundas nuptias transeundi potestatem fecerit. Ita sane perscriptum est in c. 7. caus. 2. quaest. 3. *Non sunt infames lege canonum omnes, quos leges seculi infames pronunciant, — quod etiam de ea fateri cogimur, quae intra tempus luctus nubit: cum matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori: et iure poli mortuo viro soluta est a lege viri: et nubat, cui vult.* Eadem sententia fuit *VRBANI III.*

in cap. IV. X. de sec. nupt. Super illa quaestione, qua quaesitum est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus, secundum leges definitum, respondemus, quod cum Apostolus dicat: *Mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui: in domino nubat, cui voluerit: per licentiam et auctoritatem Apostoli eius infamia aboletur, et INNOCENTII III. in cap. V. X. eod. Cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab eius sit lege soluta, et nubendi cui vult, tantum in domino, liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiae sustinere iacturam, quae licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium, nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate, cum in his praesertim seculares leges non dedignentur sacros canones imitari. Quod si autem sic iure pontificali secundae adeo nuptiae intra annum luctus permittae sunt, quis quaeso dubitabit, idem multo etiam magis de sponfalibus affirmare?*

Sed nec in Saxonis legibus quidquam, quod sponfalibus intra tempus luctus contrahendis obstit, facile inuenias. Perinet huc praecipue finis *legis nuptialis Saxonicae d. a. 1624.* (in nou. corp. iur. eccl. Sax. pag. 626.) vbi haec verba legimus: *Was endlich Wittwer und Wittwen anbelanget, so anderweit zur Ehe schreiten wollen, erfahren wir, das etliche ihrer abgestorbenen Ehegatten allzu zeitlich vergessen, und mit Aergerniß wiederum zum Ehestand eilen. Wann dann solches der Ehrbarkeit und natürlichen Pflicht zuwider; So wollen Wir,*  
 B dass

daß hinführo ein Wittwer zum wenigsten ein halbes, eine Wittve aber ein ganzes Jahr ihre Trauer-Zeit halten, und vor Ausgang desselben sich wieder zu verhelichen, oder Hochzeit anzustellen nicht Macht haben soll, es geschehe denn mit unser sonderbahren dispensation und eigener gnädigster Verwilligung. Rechte hinc colligit *CARPZOVIVS* in *Iurispr. Confstor. L. II. def. 161.* sponsalia, a lugentibus licet inita, iure subsistere, Serenissimumque Legislatorem ea lege copulam tantum et benedictionem sacerdotalem prohibuisse. Et ne sola *CARPZOVII* auctoritate niti videamur, ecce tibi verba Rescripti anno 1623. super eiusmodi quaestione his verbis propositi: *Wir haben euern beehrten unterthünigsten Bericht wegen Ioh. D. anderweit vorhabender Verhelichung, sowohl sein unterthünigstes suppliciren verlesen hören. Wann wir dann befinden, daß ohne öffentliches Aergerniß die Trauung bey noch währender seiner Trauerzeit so bald nicht verstattet werden könnte; So mag zwar die proclamation bey gehaltenen Sachen ihren Fortgang haben; Begehren aber hiermit gnädigst, ihr wollet mit der copulation bis nach den Oster-Feyertagen inne halten, und obgedachten Ioh. D. dahin bescheiden.* Qui quaeso ita rescribi potuisset, si sponsalia intra luctus spatium inita ipso iure nulla atque irrita censenda essent? Neque nos mouet ratio legis Saxonicae supra memoratae: daß etliche Ihrer abgestorbenen Ehegaiten allzu zeitlich vergessen, und mit Aergerniß wiederum zum Ehestand eilen. Negamus enim, eum plus iusto festinare, qui nuptias ultra tempus luctus



Cuius differt, et sponsalia tantum, lege haud prohiben-  
 te, intra hoc spatium contrahit. Sed nec hoc silen-  
 tio praetereundum est, tempus luctui peragendo legibus  
 praefinitum, quod ad viduam attinet, annum, quod ad  
 viduum contra, (nostro quidem iure) dimidium an-  
 ni, seu sex mensium spatium esse. Nonne autem ipsis  
 duriores sumus legibus, si sponsalia etiam lugentibus  
 interdiximus, illosque non spatium tantum lege  
 praescriptum, sed ultra etiam aliquot hebdoma-  
 das, quibus ad sponsalia post tempus luctus in-  
 eunda, triaque illa, quae vocant, banna ecclesia-  
 stica opus est, expectare iubemus? cum contra, si et  
 sponsalia, et proclamationes illas publicas intra tempus  
 luctus permitimus, (quod quidem in rescripto etiam,  
 cuius verba supra apposuimus, factum est,) statim  
 post luctus spatium transire ad novas nuptias possint.  
 Nolo iam cum CARPZOVIO, ceterum nobiscum  
 contentiente, de honestate sponsaliorum intraluctus spa-  
 tium initorum disputare. Hoc scio, mecum risuros  
 esse plerosque, si apud eum legerint haec: *Raro siqui-  
 dem abest eiusmodi festinatio a suspitione stupri aut veneficii,  
 et ingratus est coniux, memoriam et familiam defuncti tam  
 temere obliterat, immo iniuriam manibus eius inferi, ani-  
 mamque in sepulcro contristat.*<sup>b)</sup> *ἄηροι ἄηροι!* Legistine,

B 2

CARP-

b) Quod cum scripsit, in animo forsitan habuit illud

APVLEII *Metamorph. Lib. VIII. Quae res cum me-*

um

CARPZOVI, quod SENECA scribit *Ep. 63.* *Quam mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis a rogo, vix a cadavere reuulsis, cui lacrymae in totum mensem durauerint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor, qui recens consolatorem inuenit, et aliquos ad se adducit: inueteratus vero deridetur, nec inmerito: aut enim simulatus, aut stultus est.* Haud negamus, laudem mereri viduum viduamue, sponsalia ultra luctus spatium differentem. Sed aliter profecto philosophi, de virtute cum disputant, aliter legumlatores de moribus ciuium iudicant. Quam angusta, SENECA inquit *de Ira II. 27.* innocentia est, ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet, quam iuris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? Nequaquam autem omnes ciuium actiones ita legibus

*coer-*  
*um pudorem, tum etiam meae salutis commodum respicit, ne forte immaturitate nuptiarum indignatione iusta manes acerbos ad exitium salutis tuae suscitemus.* Ceterum gaudemus, sententiae a nobis hic propugnatae praeter CARPZOVIUM etiam subscribere MICH. HENR. GRIBNERVM in *Centur. Select. Obs. For. Ecclesiast.* vbi §. 3. ita scribit: *Sponsalia intra tempus luctus contracta irrita esse, pronunciarunt Scabini Witteb. ann. 1676. teste Beyero Diss. de Legat. liberat. ab indeb. Corol. VII. At valida ea esse verius est: quod placuit Consist. Witteb. anno 1710. Add. Carpz. Lib. II. Def. 161.*

coercendae sunt, ut omnia coacti facere teneantur, nullusque spontaneae virtuti locus relinquatur. Apposite  
**HORATIVS Ep. I. 26.**

*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

*Tu nihil admittes in te formidine poenae.*

*Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.*

Fac iam, viduam sponsalia festinando turpiter egisse, quod nos ipsi haud inficiamur, an fas ei erit, priori turpitudini addere, fidem fallendo, nouam? Nequaquam. Equidem si alterutro, aut poena, aut sponsaliorum rescissione hic opus esset, malle poenam, propterea quod uti in omni, ita in sponsaliorum quoque causa fidem fallere, atque alteri verba dare graue exemplo est atque perniciosum, quod ipsum etiam Romani, mulieribus secundas nuptias intemperanter festinantibus infamiae quidem poenam irrogantes, matrimonium ipsum autem haudquaquam rescindentes, probe intellexerunt. Barbare quidem, sed verissime tamen **ACCVRSVS**, *matrimonii*, inquit, *nimia festinatio punitur, sed matrimonium non cassatur.* Ceterum iudices, fisci magis, quam publicae consulentes vilitati, et infontes nonnumquam praeter ius fasque reos facientes, rogo legant ac relegant verba, quibus vtuntur in **IMPP.** in *l. i. C. de sec. nupt.* *Ne in his, in quibus correctionem morum induximus, fisci videamur habere rationem;* legant etiam in **BECCARIAE**

de delictis ac poenis libro *Caput XL.* in quo de studio augendi fisci commoda agitur, quod haud male gallicus interpres extulit de *l'esprit de fisc.* Necessarium profecto argumentum iis, qui, modo mulctarum sportularumque causam meliorem reddant, egregium publicum civiumque salutem flocci faciunt. Et neminem tamen magis, quam iudicem, decet animus

*Vindex avarae fraudis, et abstinens*

*Ducentis ad se cuncta pecuniae.*

T A N T V M






20 10 6



VD  
18

ULB Halle 3  
002 689 030  





Erz. num. 37.

1774, 30.

DISSERTATIO  
DE  
SPONSALIBVS  
INTRA TEMPVS LVCTVS  
INITIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO  
PÜTTMANNŌ

L. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR.  
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORĒ

A. D. III. OCTOBRIS MDCCLXXIV.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A

LVDOVICO HENRICO GVTBIR

PORTA-THVRINGO

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

